

Anton. Faber. *in rational.* Quod si ergo emptor certæ alicujus rei duplam stipuletur a venditore suo, eique postea heres existat, hereditatemque vendat, re illa evicta, omne illud, quod ex causa evictionis debetur, ab emptore consequetur. *d. l. 2. §. 15. vers. nam etsi. ff. d. Her. vel act. vend.* ibi Anton. Faber. Sic & si heres legatum debeat, & hereditatem vendat, postea vero legatario succedat, ab emptore legatum persequi potest. *l. 24 ibique. Colleg. Jur. Argent. thes. 10. ff. d. t.* Emptor liquidem omne id heredi præstare tenetur, quod is, si heres non fuisset, a quolibet herede extraneo petere potuisset. Frantzk. *in Comment. ff. d. t. n. 13.* Hinc & si venditor totam hereditatem emptori tradidit, neque retinuit id, quod defunctus ipsi debebat, plus debito solvisse videtur, adeoque id ipsum per conditionem indebiti repetere potest. *l. 45. ff. d. Condict. indeb.* Frantzk. *d. l. modo* talis sit actio, quæ alias etiam contra heredes competit: nam si ex delicto defuncti oriatur, ideoque morte delinquentis extinguatur, nec cum emptore eo nomine agi poterit. *d. l. 2 §. 18. De her. vel. act. vend. Zæsl. in Comment. ad ff. d. t. n. 8. in f.* Et e contrario, si debitor creditori successerit, & hereditatem postea tertio cuidam vendiderit, quanquam per confusionem nexu debiti sit liberatus, ex prædicta tamen ratione redintegratur obligatio, & tenetur venditor, non quidem pristina actione, utpote quæ per confusionem sublata, sed ex emto vel stipulatu, si stipulatio intervenit, ad præstandum illud, quod defuncto debuit. *l. 2 §. 4. l. 20. §. 1. ff. d. t. Colleg. Argent. d. t. thes. 7. fere in fin.* quia eo major hereditas intelligitur ad eum pervenisse, eoque pluris eam vendidisse, quasi soluta hereditati pecunia, quæ debebatur. *l. 41. §. 2. ff. d. Evict.* Cujac. *ad d. l. 20. p. m. 316.* Idem obtinet, licet post venditionem factam contingat confusio: Si ex. gr. Scævola vendat hereditatem L. Titii, in qua nomen Sempronii, qui defuncto 100. debet, continetur, & post idem Scævola venditor Sempronio debitori hereditario heres existat: tempore quidem venditionis nulla adhuc aderat confusio, sed illa demum ex intervallo supervenit, dum Scævola, qui etiam post venditionem stricto jure heres est & manet, *arg. l. 2. C. d. Her. vel act. vend. l. 88. in*